UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt III. Quo spiritu, quibusque eos qualitatibus præditos esse oporteat, qui ad nostræ S. Religionis & solitariæ vitæ professionem aspirant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

à DEO vocatus, & electus est, non solum exactissimè peccata abominari debet, sed etiam præcipuè vitare sanctæ perfectionis impedimenta.

At vero cum eremitica & solitaria vita (ut ex *cap. præced.* constat) cœnobiticæ, monasticæque in perfectione, & nobilitate antecellat, perfectius etiam, in utroque purius omnia omnino impedimenta, quæ altissimam contemplationem, & ardentissimum DEI amorem quoquo modo impedire, vel retardare possent, prorsus è medio tollit. Hujus namque vitæ proprium est, à se consortium, & conversationem hominum sequestrare, novos, variosque rumores abominari, ac denique visum ab omnibus iis avertere, & elongare objectis, quæ sensibus impressa, rationis arcem impugnant, animamque variis, vanisque speciebus, & phantasmatibus depingunt, creaturarum affectibus commaculant, ut his omnibus procul abdicatis purius, aptiusque divinæ contemplationi vacet.

Sancta hæc vitæ solitariæ exercitatio, alia in se continet, altissimæ perfectioni obtinendæ maximè proportionata exercitia: quæ cum multa diversaque sint, pauca seligemus, eaque principaliora, quibus strenuè insudare debet, qui sanctæ vocationis suæ obligationes adimplere desiderat.

Hæc igitur majoris claritatis gratia, in tres reduximus, & distinximus diætas, quæ correspondere poterunt tribus istis diebus, quos à Pharaone Moyses ad iter in desertum sacrificii offerendi causa postulabat, ut DEI populus pentiùs ad interiora deserti penetrans, ab Ægyptiorum impedimentis magis magisque elongaretur, Deoque appropinquaret. In prima statione de eorum agemus exercitiis, qui recenter in eremum advenêre: In secunda, eos instruemus, qui jam mensibus aliquot in prioribus exercitati sunt. In tertia denique auxiliante DEO sublimiora, magisque fini eremitico propinqua, & immediata tractabimus exercitia.

Præmittendum tamen videtur aliquid de spiritu, & qualitatibus, quibus præditi esse debent, qui in Religione nostra, ad vitæ eremiticæ professionem aspirant.

CAPVT III.

Quo spiritu, quibusque eos qualitatibus præditos esse oporteat, qui ad nostræ S. Religionis & solitariæ vitæ professionem aspirant.

COmmunis antiquorum Patrum doctrina fuit, neminem è cœnobio ad Eremiticam solitariamque professionem transire debere, qui non prius aliquot annos in vita communi monastica probè exercitatus, Obedientiæ, cæterarumque virtutum perfectionem adeptus esset. Taliter statuerunt S. Benedictus, in sua Regula, magnus Cassianus in suis Collationibus; idem etiam censuit S. Thomas 2. 2. *q. 188. art. 8.* secutus S. Hieronymum in hæc verba: *Solitudo autem competit jam perfectis.* Vnde Hieronymus ad Rusticum Monachum sic scribit: *solitariam vitam reprehendimus? minimè. Quippe quam sæpè laudavimus, sed de nido monasteriorum bujusmodi egredi volumus milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederunt.* Exinde concludit S. Thomas, tam sublimem professionem solum competere illis, qui exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali, si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, periculosissimum esse. In quem *Art.* optimè advertit Cajetanus, ut tentatis ad vitam solitariam benè explanetur primo doctrina hæc, & examinent se si propter animi passionem solitudinem quærunt, aut propter perfectionem vitæ jam assecutam, ita ut sint jam patientes, benigni, humiles, mansueti, & contenti pane & aqua &c. Sic enim & S. Augustinus scripsit lib. *de moribus Ecclesiæ*, cap. 31. de sui temporis Eremitis loquens, *Pane solo, qui eu per certa temporum intervalla affertur, & aqua contenti, desertissimas terræ incolunt, perfruentes colloquio DEI, cujus puris mentibus inhæserunt.* S. Hieronymi de solitaria vita sententia. Rigoreæ antiquorum Eremitarum.

Verum doctrina hæc quanquam ex se vera sit & certa, non tamen de ea intelligitur vitæ Eremiticæ professione, quæ apud nos cœnobiticæ mixta, sanctæ Obedientiæ virtute protegitur, sed de illa, quam olim antiqui illi Anachoretæ deserta Ægypti, & Palæstinæ incolentes amplectebantur, quæ in se quamplurima continebat pericula, nondum in perfectione exercitatis, secundum illud: *Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se.*

Cum autem vitam Eremiticam sub sanctæ Obedientiæ disciplinâ, & continuâ superiorum directione profitemur, ab omni parte securissima est. Sanctus Hieronymus de vita solitaria loquens ad Rusticum Monachum scribit his verbis: *In solitudine cito subrepit superbia, dormit quando voluerit, facit quod voluerit*, quæ sane periculosissima sunt. Sed aliter multaque cum laude de iis loquitur, qui sub obedientia degunt: *Non facies* (inquit) *quod vis, comedas quod juberis, habeas quantum acceperis, Præpositum monasterii tenens ut Deum, diligas ut parentem.* Quæstio examinatæ vitæ an securior?

Hæc omnia, multaque alia bona secum adfert vita solitaria cœnobiticæ mixta, qualem apud nos profitemur, nam & sanctæ Obedientiæ, & directionis Superiorum, vitæque exemplaris aliorum Eremitarum, quo mutuus fervoris & orationis accenditur ignis, nec non omnes vitæ solitariæ fructus simul complectitur ab omnimoda conversatione humana abstractionem & elongationem, silentium strictum, & perpetuum, Pœnitentiæ asperitatem, continuam in oratione perseverantiam, quæ potissima vitæ istius institutio est, adeo, ut si attentè res tota discutiatur, reperiemus isto vivendi modo conjunctas esse, vitæ tum eremiticæ, tum cœnobiticæ rosas utriusque spinis mirabiliter evulsis. Solitariorum enim vitæ acutas admodum & periculosissimas inesse spinas supra vidimus; dum homini soli multis tentationibus expositio, multis tribulationibus acediæ, pigritiæque subjecto, ac per consequens pluribus ingentibus periculis illabentibus, nullus adest, qui consilio serviet, consolatione roboret, exhortatione accendat. Nec desunt similes in vita communi, quæ ordinariè in monasteriis servatur, spinæ; spinæ sunt cum sæcularibus conversatio, ad parentes, amicosque carnales affectus, qui vehementer pungunt; spinæ sunt rerum, quas extra, aut intra Conventum pertractamus imagines, quæ animam orationis tempore inquietant; ac denique spinæ sunt, murmurationes, con- Comma da vita

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

contradictiones, repugnantiæ, animorum divisiones, & opinionum, sententiarumque diversitates (quas subinde etiam maximè reformata monasteria sentiunt) quæ animam dilaniant. Præterea alia inordinatorum affectuum impedimenta, quæ ita animam occupant, & commaculant, ut vix ad eam assurgere possit puritatem, quæ ad contemplationem, & claram, quantum in hac vita permittitur, Dei visionem requiritur.

His igitur omnibus amputatis, vita hæc est velut fragrantissimorum, & pulchertimorum utriusque vitæ florum fasciculus, suavissimum tum securitatis, tum abstractionis, ac contemplationis, cæterarumque virtutum spirans odorem. Unde clarè apparet quemlibet Religiosum huic solitariæ vitæ modo idoneum esse, si saltem mediocriter, in vita communi exercitatus, ulterius in spiritu orationis proficiendi desiderio fervebat.

Conditiones requisitæ ad vitam aggrediendam Eremiticam.

Qualitates aliæ, ad hoc institutum amplectendum, necessariæ sunt prima, ut constanti resolutione, & determinatione, serio se toto spiritu interiori renovare, & in DEUM introvertere firmissimè statuat. Existimet itaque se in novam transmigrasse regionem vitæ cælestis, ac divinæ contemplationis luce coruscam, diverso amoris igne ferventem, & differentibus divinæ liberalitatis influentiis fœcundam: novæ itidem scholæ disciplinam se recenter incipere, in qua præcipuus magister est Spiritus Sanctus, qui in alto silentio corda solitariorum alloquitur, aut ut melius dicamus, ab inferioribus se ad altiorem, sublimioris scientiæ scholam, & ab uno Novitiatu, ad alterum virorum jam provectorum, & sapientium ascendere reputet. Primus Novitiatus quem simul cum Religione ingressus est, fuit parvulorum, ubi DEUS panem præmasticatum, suumque sanguinem in lac, & mel conversum præbet, secundum illud S. Pauli *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* At vero secundus hic Novitiatus, non infantium est, quibus lacte opus sit, sed virorum, *quorum est solidus cibus*, ut inquit Apost. *Hebr.* 5.

Ad dignos in hac divina schola hauriendos cælestis Sapientiæ fructus serio studio, & impigro labore disciplinæ, scientiæque isti incumbendum est; si enim, ut proverbium inquit, DOCTRINA SANGVINE, id est, labore & sudore comparatur, multo id verius, de novo pietatis, & sanctitatis spiritu dicendum erit, de quo similiter usitatum, inter sanctos illos Eremi Patres proverbium refert Dorotheus, DA CARNEM, ET SANGVINEM, ET ACCIPE SPIRITVM. Adeo ut una (ut ita dicamus) spiritus uncia multis sudoris, & sanguinis elicienda, & coemenda sit; quam veritatem qui nondum perspectam, & efficaciter persuasam habet, parum aut nullum omnino percipiet ex vita Eremitica fructum.

Quid ab illis observandum, qui uno solũ anno vitæ Eremiticæ vacare intendunt?

Qui ad annum solummodo sanctæ isti vitæ solitariæ exercitio addicuntur, tempus istud à DEO sibi donatum, pretiosius auro, velocissimè finiendum, tum dignè æstimare, tum quam utilissimè impendere procurent. Seneca quam pretiosum sit tempus, & qualiter eo dum fruit uti debeamus, aptâ comparatione ponderat. *Tanquam*, inquit, *ex torrente non semper casuro, &c.* si enim in civitate aliqua limpidissimæ aquæ fons post duos quam primum dies exsiccandus esset, quanto profecto, quamque diligenti cives concursu, allatis undique vasis excellentem fontis hujus aquam excipere festinarent.

Quamquam autem, ut diximus, citissimè præterlabatur anni unius curriculum, sufficiens tamen est, ut interea diligenti sollicitudine laborans Eremita, magnam acquirat perfectionem, vel ut minimum, in magis substantialibus vitæ religiosæ virtutibus, radicetur & fundetur: & quod præcipuum est, ut in oratione, & præsentia Dei, probè exercitatus, & confirmatus deserto egrediatur.

Cassianus *lib. 7. de institutis renuntiantium*, proposito prius altissimo gradu perfectæ castitatis, ad quem sine reliquarum virtutum perfectione pertingere non est possibile, quandoquidem ex vera Theologia constet; virtutes omnes inter se esse concatenatas, subjungit tandem minori quam unius anni spatio, posse tam altum perfectionis gradum apprehendi.

Necessarium etiam est, ut quicunque ad hanc sancti deserti scholam venerit, licet quam maximè in scientia, & virtutibus exercitatus, tanquam discipulum se gerat, & agnoscat: quique non docendi, sed discendi gratia à Domino DEO huc vocatus, non ut Judex, aut Visitator admissus, sed ut revera parvulus in Christo, & spiritu enutriendus, nihil mutare, aut judicare præsumat, sed quam inibi reperiet religiosæ institutionis formam, (quæ non minimi profectus erunt) gnaviter & strenue adimpleat: Nonnumquam ob oculos sibi proponant, quanta gratia, & beneficio à DEO ad sanctum hunc locum adductus sit, cui si ex sua negligentia non correspondeat, pro mensura beneficii etiam futurum judicii rigorem sentiet, cum districto Judici cogetur exactissimam reddere rationem fœcundissimæ villicationis suæ. Sonet etiam in auribus illud Apostoli; Videte, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis. Si enim omnis talenti traditi fœnus exigit DEUS, quale pro tam singulari dono exacturum putamus?

CAPVT IV.

De exercitiis primæ diætæ, sive primorum mensium vitæ Eremiticæ.

POsteaquam Religiosus ad sanctum appellens desertum, sanctam istam promissionis terram pedibus calcare inceperit, nequaquam existimare debet, otioso se sanctificandum introitu; non enim hîc promissa antiquitùs filiis Israël mellis & lactis dulcedo gustatur, nisi prius, quæ illis mandata sunt, hîc etiam observentur. Septem nimirum illas nationes fortissimas fertilissimæ illi terræ dominantes bello expugnare, armisq; exterminare debebant. In cujus rei figura contingebant hæc? nisi de qua loquimur, solitariorum spiritualem, divinamque dulcedinem nec possideri pacificè, nec gustari posse delectabiliter, nisi prius subjugatis passionibus, mortificatis affectibus, exterminatis vitiis, omnes regni fines possidens, pace de bello parta perfruatur.

Quo animo ad vitam accedendũ sit eremiticam?

At verò primo omnium necesse erit certæ, securæque solitariorum vitæ fundamentalia, primaque exercitia benè habere explorata, ut initio ad votum succedente, reliqua facilius procedant, nam ut in proverbio est:

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.